

Wilfried Stroh (Valahfridus)

De historia litterarum Latinarum

Index scholarum

Schola I: De Latinis litteris. De initiis carminum et poeticae dictionis.

Schola II: De scriptoribus uetustissimis

Schola III: De poetis comicis et Catone

Schola IV: De Cicerone oratore rhetore philosopho

Schola V: De scriptoribus orationis solutae qui Ciceronis aetate fuerunt

Schola VI: De poetis qui Ciceronis aetate fuerunt: Lucretio, Catullo, aliis

Schola VII: De Vergilio poetarum principe

Schola VIII: De Q. Horatio Flacco

Schola IX: De poetis elegiacis

Schola X: De P. Ouidio Nasone

Schola XI: De Augustae aetatis scriptoribus prosae. De aetatis imperatoriae litteris.

Schola XII: De aetatis imperatoriae litteris (pars II)

Schola XIII: De aetatis imperatoriae litteris (pars III). De Christianorum litteris primis.

Schola XIV: De serae antiquitatis q.d. litteris. De Caroli Magni reformatione litterarum.

Schola XV: De medio aeuo et renascentium litterarum aetate. De litteris q.d. neolatinis.

Schola I: De Latinis litteris. De initiis carminum et poeticae dictionis.

1. **De Latinis litteris** cur **Latine** dicendum sit, si quaeritur, dico hanc linguam huic materiae potissimum aptam esse. Totam autem historiam tractaturus sum, quoniam plurimi scholares se semper in singulis haerere queruntur ac uix libri reperiuntur qui totam hanc materiam percenseant.

2. **Antiquis temporibus** historiam Latinarum litterarum ex aliqua parte tractauit Cicero in *Bruto*, ubi omnes oratores qui ante ipsum fuerunt recenset, deinde latius Quintilianus in libro *X Institutionis oratoriae*. Perierunt autem quae Varro scripsit *De poetis*; periit magna pars operis Suetonii, quod erat *De uiris illustribus*. Sub eodem titulo scripsit S. Hieronymus saec. IV, qui tantum „scriptores ecclesiasticos“, ut dicit, recepit.

1. Otto Jahn / Wilhelm Kroll (comm.), *Cicero Brutus*, Berolini 1908, ⁶1962
2. William Peterson (comm.), *Quintil. inst or. lib. X*, Oxonii 1891 (iter. 1967)
3. Robert A. Kaster (comm.), *Suetonius De grammaticis et rhetoribus*, Oxonii 1995
4. Jürgen Paul Schwindt, *Prolegomena zu einer „Phänomenologie“ der römischen Literaturgeschichte* von den Anfängen bis Quintilian, Gottingae 2000

3. **Medio aeuo** Hugo Trimbergensis (1288) carmine didactico exposuit *Registrum multorum auctorum*. Tempore **renascentium litterarum** hanc materiam Sicco Polenton (ante 1437), Lilius Gregorius Gyraldus (1545) aliique tetigerunt. Nunc quoque non indigna lectu uidetur Io. Georgii Walsch *Historia critica Latinae linguae* (Lipsiae ²1729). Sed maximum incrementum ceperunt haec studia **saec. XIX**, quo post Fridericum Augustum Wolf (1787) Gottofredus Bernhardy, Guilelmus Sigismundus Teuffel, Otto Ribbeck suas historias ediderunt. Quorum opera si non acumine at doctrinae copia superauit Martinus Schanz.

5. G. Bernhardy, *Geschichte der römischen Litteratur*, Brunsvigiae ⁵1872
6. W.S. Teuffel, *Gesch. der röm. Litteratur* (1870), 3 uol., retr. W. Kroll / F. Skutsch, Berolini ⁶1910-1916
7. O. Ribbeck, *Geschichte der Römischen Dichtung*, 3 uol., Stutgardiae 1887 (²1894)-1892
8. M. Schanz / C. Hosius / (G. Krüger), *Geschichte der römischen Literatur*, 4 partes, Monachii 1910-⁴1935

4. Nunc in huius *Historiae* locum sucessurum est **Manuale Latinarum litterarum antiquarum** a Reinharto Herzog et Petro L. Schmidt octo uoluminibus editum, quorum tria iam confecta sunt. Nec desunt historiae minores. Quae tamen paene omnes terminis antiquitatis continentur, non ultra sese extendunt.

9. R. Herzog / P.L. Schmidt (ed.), *Handbuch der lateinischen Literatur der Antike*, uol. 1 (ed. W. Suerbaum), Monachii 2002; uol. 4 (ed. K. Sallmann), 1997; uol. 5 (ed. R. Herzog), 1989
10. Eduard Norden, *Die römische Literatur* (1910), Stutgardiae / Lipsiae ⁷1998
11. Michael von Albrecht, *Geschichte der römischen Literatur* (1992), 2 uol., Monachii et al. ²1994
12. Manfred Fuhrmann, *Geschichte der römischen Literatur*, Stutgardiae 1999 (usque ad 200 p.Ch.)

5. Numquid intersit inter **Latinas litteras et Romanas** quaeritur. Ac primum quidem eae fere inter se parum distabant, quoniam scriptores Latini, etsi Romani ipsi origine non erant, Romae degebant, Romanis scribebant. Quae tamen condicio inde a fine secundi p.Ch.n. saeculi mutata est: tunc in Africa, postea in Gallia, Hispania aliisque in terris poetae et oratores extiterunt qui suis ciuibus, non Romanis, sua scripta dicarent. Recentiore aetate Anglia, Germania, Polonia, Hungaria, immo etiam America et Russia protulerunt scriptores Latinos.

13. Wilfried Stroh, *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer großen Sprache*, Berolini 2007
14. Jürgen Leonhardt, *Latein: Geschichte einer Weltsprache*, Monachii 2009

6. Nec defuerunt **ante litteras Latinas** ipsas Latina quaedam carmina et orationes (quae tamen litteris perscriptae non erant): traditum est de *naeniis*, de *carminibus triumphalibus*, de *canticis coniuualibus*. Faunos uersibus *Saturniis* dixisse memorant. Vetustissimo quodam carmine preces ad Martem conceptas Cato tradit (agr. 151). Ea paene omnia perierunt.

15. Friedrich Leo, *Geschichte der röm. Literatur*, uol. 1: *Die archaische Liter.*, Berolini 1913 (it. 1967), 1-46

Schola II: De scriptoribus uetustissimis

7. Litterarum Latinarum quasi pater putandus est **Appius Claudius Caecus**, cens. 312 a. Chr., ubique nouator. Scripsit *Carmina* siue *Sententias* rudi quodam genere uersuum, unde in prouerbium cecidit *Faber est suae quisque fortunae*. Notissima est eius *Oratio contra Pyrrhum* habita a. 280/79, quam ipse edidit, quo factum est, ut etiam Ciceronis temporibus legeretur.

16. Jürgen Blänsdorf (ed.), *Fragmenta poetarum Latinorum*, Stuttgartiae / Lipsiae 1995

17. Henrica Malcovati (ed.), *Oratorum Romanorum fragmenta liberae rei publicae*, Aug. Taurinorum 31966

8. Cultius poesis genus induxit **Liuius Andronicus** Graecus, qui peregrinus aut seruus Tarento Romam uenerat. Is Cicerone teste (*Brut.* 72) a. 240 a. Chr. *primus fabulam docuit*, i.e. tragoediam aut comoediam Latinam ad imitationem Graecorum in scaenam edidit. Quae antea fuerint initia scaenica Romanorum, obscurum est. Certe Liuio historico teste (7,2,8) Liuius A. poeta *ausus est primus argumento fabulam serere*. Etiam genus uersuum siue rationem metricam a Graecis mutuatus est, nisi quod trimetrum in senarium mutauit. Cantica, quae ad tibiam cantarentur, separauit a diuerbiis. Choros rarius adhibebat quam Graeci.

18. Eduard Fraenkel, „Liuus Andronicus“, *RE Suppl.* V (1931) 598-607

19. Otto Ribbeck (ed.), *Tragicorum Romanorum fragmenta*, Lipsiae 21871 (iter. 1962)

9. Idem Liuius A., cum grammaticus esset, fortasse in usum institutionis grammaticae Latine uertit *Odysseian* Homeri, ut esset **Odusia**. Id autem fecit non hexametro, sed uersu Italico Saturni, ut sic inciperet: *Virum mihi, Camena, insece uersutum*. De huius uersus genere et ueteres dubitauerunt et nunc uiri docti disputant: certe in definitos pedes non diuiditur, sed habet binas partes distinctas. - Liuius A. autem a. 207 iussu pontificum carmen fecit quo uiginti septem uirgines cantantes gradientes saltantes Iunonem Reginam placarent. Cuius poetae in honorem *scribis histrionibusque* in Auentino templum Mineruae assignatum est.

21. Jürgen Blänsdorf, „Metrum und Stil als Indizien für vorliterarischen Gebrauch des Saturniers“, in:

Gregor Vogt-Spira (ed.), *Studien zur vorliterarischen Periode im frühen Rom*, Tübingae 1989, 41-69

10. Successit **Cn. Naeuus**, poeta Campanus summo ingenio. Qui cum inde ab a. 235 fabulas scaenae dedisset, etiam domesticis i.e. Romanis argumentis in tragoediis usus est. Cuius generis fabulae, ut *Clastidium* et *Lupus*, uocantur *praetextae*. In comoediis cum aliis nobiliores homines ludibrio habuit tum Metellos, quare aliquando in carcerem coniectus est. Nota fuit autem eius *Campana superbia*. In carmine epico, quod *Bellum Poenicum* inscripsit, ut Liuius A. uersu Saturnio usus est: *Nouem Iouis concordae filiae sorores*.

22. Otto Ribbeck (ed.), *Comicorum Romanorum praeter Plautum et Terentium fragmenta*, Lipsiae 21873 (it. 1962)

11. Hoc autem in genere sc. epico **Q. Ennius** a. 239 natus in Calabria summus erat nouator, qui primus hexametrum Graecum exprimere ausus sit. *Annales* quibus totam historiam Romanorum usque ad sua tempora XVIII libris explicauit sic incipiunt: *Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum*. Saturnios derisit ut uersus *quos olim Fauni uatesque canebant*. Finxit etiam Homeri animam in se per metempsychosin quandam Pythagoricam transisse. Eminuit etiam in tragoediis et plurima alia opera poetica attigit. *Saturas* quoque scripsisse dicitur, i.e. uariorum carminum farraginem, et *Epicharmum* librum prosaicum.

23. Werner Suerbaum, *Untersuchungen zur Selbstdarstellung älterer römischer Dichter*, Hildeshemii 1969

12. In comoedia principem locum sibi uindicat **T. Maccius Plautus** Uerber, primus omnium poetarum cuius opera integra (sc. XX fabulae) nobis seruatae sunt. Quarum tempore uetustissima uidetur esse *Miles gloriosus* fere a. 206 acta. Sunt autem omnes comoediae *palliatae*, i.e. in Graecia uersantur. Quibus populo maxime placere studebat, cum inde etiam pecuniam quaereret. Nam poeta suum drama uendebat alicui *domino gregis* – grex autem sunt histriones -, qui drama docebat, tum operam suam ei uendebat, qui aliquos ludos editurus erat.

Schola III: De poetis comicis et Catone

13. Imitatione autem Plautus expressit **comicos Graecos** qui Nouae comoediae tribuuntur: Menandrum, Diphilum, Philemonem alios. Ei uitae cottidianae imaginem praebere dicebantur, quae uita tamen Graecos mores, e magna parte Atticos, effinxit. Quos Plautus, quamquam nonnulla Romana immiscebat, retinuit, ut fabulae eius plenae sint meretricum, conuiuiorum, militum Graecorum: id sane arrisit spectatoribus. Argumentorum **personae** principales solent esse: adulescens amator, puella quam amat (siue ingenua siue meretrix), senex pater inimicus amori, seruus callidus amoris fautor. Maxima pars argumenti uersatur in fallaciis. - Optima fabula fortasse iudicanda est *Menaechmi*, proxime accedere uidentur *Amphitruo*, *Miles*, *Mostellaria*, *Truculentus*. Maior pars dramatum edebatur ad tibiam; magna pars erant uera cantica, quorum *innumeri numeri* magnae admirationi erant. - Ac mirum est eis temporibus, cum spectacula scaenica tam cara essent uulgo, theatri aedificium Romae non fuisse.

24. Jürgen Blänsdorf, „T. Maccius Plautus“, in: Suerbaum, *Handbuch* 1 (uide n. 9), 183-228

25. Eric Segal, *Roman laughter: The comedy of Plautus*, Cantabrigiae 1968 (it. 1971)

14. Plauto autem successit Caecilius Statius Insuber (Gallus), cuius opera nobis perierunt, illi tertius **P. Terentius Afer**. De quibus Varro sic iudicauit ut Plautum palmam merere diceret in *sermonibus*, Caecilium in *argumentis*, Terentium in *ethesin* i.e. moribus. Hoc certe nunc quoque uerum esse cognoscimus, cum ea parte Terentium Menandrum suauissime expresserit, non tam ut risum spectatorum moueret quam ut eos ad leniores affectus adduceret. Edidit autem inde ab a. 166 ad a. 160 sex comoedias omnes Graecis titulis: *Andria*, *Hecyra*, *Heautontimorumenos*, *Eunuchus*, *Phormio*, *Adelphoe*. Plures scribere mors immatura uetuit. Notissimi sunt *Adelphoe*, in quibus de uera ratione educationis quaeritur. Nescio an optima sit *Hecyra*, in qua exspectatio spectatoris singulari artificio suspensa tenetur. Noua res in antiqua scaena!

26. Peter Kruschwitz, *Terenz*, Hildeshemii et al. 2004

15. Nec deerant **aduersarii** poetae Afro uenusto et caro, ut uidetur, Scipionis amicis. Quod cognoscimus e prologis, quos scripsit non ut argumenta singula exponeret (ut fere semper Plautus) sed ut rationem poeticam suam defenderet. Maxime autem ei obieciatur, quod argumenta *contaminaret*, i.e. Graeca exempla non integra seruaret, sed alienis insertis quasi inquinaret. Atque id exemplo Naeui et Plauti defendit. Aliud ei obiecit Caesar: sc. deesse Terentio *uim comicam*, ut esset *dimidiatus Menander*. Sed laudatur ab illo ut *puri sermonis amator* – quare a Terentio plurima tempora usque ad saec. XVIII Latine discere coeperunt.

16. **Orationis solutae** quae eo tempore uiguit pauca exstant exempla. In qua unus excellit **M. Porcius Cato** a censura (a. 184) censorius uocatus, uir dignus qui Latinae prosae quasi pater dicatur. Omne enim hoc litterarum genus tractauit: edidit orationes forenses, contexuit historiam, etiam de disciplinis aliquid elaborauit, unde nobis unum opus *De agricultura* integrum seruatum est. Quae omnia fecit ad imitationem scriptorum Graecorum – quorum tamen contemptum prae se ferebat. Quantopere autem traditam a Graecis artem rhetoricam despexerit, docent eius notissimae sententiae: *Orator est uir bonus dicendi peritus*. Et: *Rem tene, uerba sequentur*. Vim dicendi et uitae probitatem testantur et fragmenta plurima orationum et multae in iudiciis uictoriae: quadragies quater accusatus semper absolutus est.

17. Maximam autem gloriam in litteris eo meruit, quod primus **Latinam historiam** scripsit, sc. **Origines** VII libris. Nam qui priores hoc opus attigerant, ut Q. Fabius Pictor et L. Cincius Alimentus, Graece id fecerunt, ut a Graecis potissimum intellegerentur. Titulus autem inde intelligendus est, quod post acta regum (I) in libro II et III omnium Italicarum ciuitatum originem explicauit, deinde bella Punica duo et quae secuta sunt exposuit.

27. Werner Suerbaum, *Cato Censorius in der Forschung des 20. Jahrhunderts*, Hildeshemii et al. 2004

Schola IV: De Cicerone oratore rhetore philosopho

18. Inter Catonem (234-149 a. Chr.) et Ciceronem (qui publice dicere coepit inde ab a. 81) interiacet media quaedam aetas, e qua nulla nobis litterarum monumenta integra seruata sunt. Fuerunt tum autem **oratores** nobilissimi ut Gracchus uterque, postea L. Licinius Crassus et M. Antonius, quos Cicero audiebat et admirabatur. Institutio oratoria autem tota Graeca erat. In **historia** eminuerunt Sempronius Asellio et Coelius Antipater, qui elocutioni magis quam alii studebat. **Poetarum** longe ingeniosissimus uidetur fuisse C. Lucilius eques Romanus, qui opus saturae ab Ennio incohatum ita nouauit, ut in carminibus uiros principes reprehendere auderet. Tragoediam perfecisse dicitur L. Accius.

19. Quae sequitur aetas iure ab uno homine nomen accepit, ut *aetas Ciceroniana* dicatur. Nam **M. Tullius Cicero** (106-43), non solum fere omne genus litterarum attigit, sed etiam ciuitatem regere uoluit. Quare, si orationes excipias, tum denique scribendo uacauit, cum in re publica parum proficere posset. Ita ante a. 81, quo Sulla dictator iudicia restituit, scripsit libros *De inuentione*; inde ab a. 55, quo Pompeius Caesar Crassus dominabantur, confecit dialogos, sc. *De oratore*, *De re publica*, *De legibus*; inde ab a. 46 Caesare dictatore scripta rhetorica et philosophica plurima elaborauit. Perierunt autem eius poemata. Etiam historiam scribere in animo habebat.

28. Otto Plasberg, *Cicero in seinen Werken und Briefen*, Lipsiae 1926 (it. 1962)

29. Matthias Gelzer, *Cicero, ein biographischer Versuch*, Aquis Mattiacis (Wiesbaden) 1969

20. Maximae admirationi **orationes** eius semper fuerunt, quae fere L numero seruatae sunt. Sunt autem e maiore parte iudiciales, quarum plures in iudiciis publicis, pauciores in priuatis habitae sunt (ubi Cicero peritia iuris ciuilibus excellit). Ceterae, quae ad rem publicam spectant, partim in senatu, partim ad populum dictae sunt. Inter has notissimae sunt orationes *In Catilinam* habitae (63) et *Philippicae* in Antonium (44/3); iudicialium quasi regina putatur oratio *Pro Milone* habitae (52), quam tamen aliis uerbis scriptam edidit quam dixerat. Ceterum iuuentutis causa suas orationes publicauit. Excellebat autem in elocutione praesertim duabus rebus, copia et compositione uerborum.

30. Wilfried Stroh, *Taxis und Taktik*, Stutgardiae 1975

31. Jonathan Powell / Jeremy Paterson (ed.), *Cicero the advocate*, Oxonii 2004

21. Cicero ex antiquis oratoribus fere unus est qui etiam **scripta rhetorica** edidit. Atque in libris *De inuentione* (ante a.81) primam partem artis oratoriae diligentissime pertractauit. Ad quos perficiendos omnium rhetorum scripta quae antea fuerint se legisse et inde optima quaeque elegisse gloriatur. Libri autem *De oratore* (55) scripti longe aliud propositum habent. Hic enim dum Crassus et Antonius omnes quinque partes rhetoricae tractant, Cicero maxime probare studet oratorem perfectum neminem esse posse nisi qui omnibus artibus, imprimis philosophia, perpolitus sit. In ultimis scriptis autem, *Bruto* et *Oratore* (46), se defendit aduersos *oratores Atticos* qui dicebantur, quorum princeps Licinius Caluus erat. Hic ipse noua praecepta addit rhetoricae, dum de tribus generibus dicendi, tenui, medio, graui disputat.

32. James M. May (ed.), *Brill's Companion to Cicero: Oratory and rhetoric*, Lugduni et al. 2002

22. **Philosophiam** Cicero primus Romanorum scriptis attigisse uidetur. Ad cuius studium eum excitauerat maxime Philo, caput Academiae Platonicae, unde Ciceroni perpetuus Platonis amor permansit. Nec tam illius dogmata amplectebatur, sed Philonem secutus magis rationem illam Socraticam de omnibus dubitandi. Id Cicero cum iam in libris *De inuentione* profiteretur tum in plurimis illis scriptis quibus senex omnem philosophiam Graecorum comprehendebat (45-44). Quae quasi encyclopaedia philosophiae et libros logicos et ethicos et physicos habuit.

33. Thaddaeus Zielinski, *Cicero im Wandel der Jahrhunderte* (1897), Lipsiae / Berolini ⁴1929

34. Günther Gawlik / Woldemar Görler, „Cicero“ in: Hellmut Flashar (ed.), *Die hellenistische Philosophie*, Basileae 1994, 991-1168

Schola V: De scriptoribus orationis solutae qui Ciceronis aetate fuerunt

23. Post multos annalium scriptores historiae Romanae compendium fecit T. Pomponius Atticus *Libro annali*, historiae uniuersae **Cornelius Nepos** *Chronicorum* libris III. Is scripsit etiam opus maius *De uiris illustribus*, unde nobis uitae Catonis et Attici, praeterea XX uitae ducum Graecorum et Romanorum seruatae sunt (quas tamen nunc nonnulli Hygino, qui fuit aetate Augusta, ascribunt).

35. Wolf Steidle, *Sueton und die antike Biographie*, München 1951

36. Joseph Geiger, *Cornelius Nepos and ancient political biography*, Stuttgart 1985

24. Suarum rerum gestarum scriptor erat **C. Iulius Caesar** (100-44), qui composuit VII libris commentarios *De bello Gallico* (octauum suppleuit A. Hirtius), III libris *De bello ciuili* (aliis suppleuit *Bellum Alexandrinum*, *B. Africum*, *B. Hispaniense*). Distant autem commentarii a uera historia quod illi nil nisi inornatam seriem gestorum praebent e qua materia alii opus historicum contexere possint (Graece *hypómnēma*). Id autem genus Caesar elegit, ut narratio sua uerior uideretur. Desunt proemia, digressiones, figurae uerborum et sententiarum, clausulae; non ipse loqui uidetur cum in *Caesare* tertia persona utatur. Summas tamen laudes his commentariis tribuit Cicero propter *puram et illustrem breuitatem*. Ciceroni autem Caesar dedicauerat II libros *De analogia* scriptos. Laudabantur etiam eius orationes, nec tamen gloria uiri e scriptis uenit.

37. Matthias Gelzer, *Caesar, der Politiker und Staatsmann*, Aquis Mattiacis 1960

38. Will Richter, *Caesar als Darsteller seiner Taten*, Heidelbergae 1977

25. Scriptoris fama post Ciceronem secundus erat **C. Sallustius Crispus** (86-35/34), *primus Romana Crispus in historia* (Martialis 14,191,2), in scholis lectus ante alios. Nec Ciceronis ubertatem imitatus est, sed longe aliud, immo contrarium genus scribendi affectauit, ut magis Thucydidem, non numquam etiam Catonem aemulari uideretur. Maxime autem eius laudabatur *immortalis uelocitas*; nam uerborum concinnitatem et clausularum uenustatem fugiebat, saepe etiam obscuritatem quandam admittebat.

39. Ronald Syme, *Sallust*, Berceleiae 1964 (Germanice: Darmstadii 1975)

26. *Inuectiua in Ciceronem* et *Epistulae ad Caesarem* num genuinae sint, disputatur; plurimi nunc abiudicant. Statuit certe res Romanas non uniuersas, sed *carptim* scribere. Elegit autem sibi *Bellum Catilinae* et *Bellum Iugurthinum*: quo ordine haec opera eum perfecisse omnes credunt, sed id ualde incertum est. Nam initio *B. Iugurthini* suspicatur quosdam *fore* (!) *qui ... tanto tamque utili labori meo* (sc. historiam scribendi) *nomen inertiae imponant*, quod priori magis quam posteriori scripto conuenit. Atque in *Bello Iugurthino* quasi popularem agit; eam enim materiam sibi sumpsisse dicit ideo, *quia tunc primum superbiae nobilitatis obuiam itum est*. Quare Marium popularem maxime celebrat. Contra in *Bello Catilinae* non minus nobilitatis quam populi mores corruptos fuisse iudicat. - Ex *Historiis* quibus tempus post Sullae mortem (78) V libris tractauit – quod opus perficere non potuit –, tantum quattuor orationes et duae epistulae seruatae sunt.

40. Bertoldus Maurenbrecher (ed.), *C. Sallusti Crispi Historiarum reliquiae*, Lipsiae 1891 (iter. 1967)

27. Inter summa ingenia habebatur olim etiam **M. Terentius Varro** (116-27) uir rerum Romanarum longe peritissimus, multifariae doctrinae plenus. Sed perierunt eius *Disciplinae*, quibus IX libris una cum aliis artibus medicinam et architecturam tractauerat. Item perierunt XLI libri qui *Antiquitates rerum humanarum et diuinarum* continebant, item IV libri *De gente populi Romani*, item IV *De uita populi Romani*. Non pauca etiam de litterarum historia scripsit. In *Saturis Menippeis* se ipse etiam poetam probauit, in libro *De philosophia* etiam sagacem philosophum. Ad nos peruenerunt tantum sex libri e XXV libris *De lingua Latina* et III libri *De re rustica*. - Nemo eum magis laudauit quam Cicero in *Academicis*.

41. Hellfried Dahlmann, „Terentius (84)“, *RE* Suppl. 6 (1935), 1172-1277

Schola VI: De poetis qui Ciceronis aetate fuerunt: Lucretio, Catullo, aliis

28. Post Acci mortem, si Ciceronem poetam excipias, Latinae Musae paene conticuerunt, donec extiterunt duo poetae clarissimi: **T. Lucretius Carus** et Catullus. Qui quamquam moribus et ingenio dissimiles erant, eodem uiro nobili pro amico usi uidentur, C. Memmio (praet. 58), inimico diu Caesaris. Eum Catullus a. 57 in Bithyniam prouinciam comitatus est; ei Lucretius totum carmen suum *De rerum natura* VI libris scriptum dedicauit. De uita Lucreti parum compertum habemus. Atque unus Hieronymus dicit eum natum a. 94 a. Chr., amatorio poculo in furorem conuersum *per interualla insaniae* opus confecisse; id postea emendatum a Cicerone. Atqui uidetur Cicero legisse Lucreti carmen a. 54 cum *Lucreti poemata* dicit esse *multis luminibus ingenii, multae tamen artis* (Q. fr. 2,10,3). Sed nuper Hutchinson demonstrauit prooemium libri I scribi uix potuisse ante initia belli ciuilibus (a. 49).

42. Gregory Hutchinson, „The date of the *De rerum natura*“, *CQ* N.S. 51, 2001, 150-162

29. Opus autem est carmen philosophicum hexametris scriptum quod **Epicuri** doctrinam de physica complectitur; quam ille libris *Peri phýseōs* exposuerat. Lucretius autem materiam sic disponit ut libri I et II sint de atomis (siue *primordiis*), III et IV de animo et anima, V et VI de origine mundi et rebus meteoris. Singulis libris splendidissima prooemia praefixa sunt, quae e magna parte laudes Epicuri habent, quem Lucretius tamquam deum ueneratur. Sequitur autem cum Ennium, qui non nihil de physica in *Annalibus* innuerat, tum Empedoclem Agrigentinum, qui saec. V simile carmen scripserat. Tamen iure gloriatur se *Auia Pieridum loca nullius ante trita solo* peragrarere (4,1), primum quod de materia obscura tam lucidos fecerit uersus, deinde quod hominum animos a religione i.e. superstitione, item a metu mortis liberauerit.

Pulcherrimum est autem primum prooemium quo Venerem ut rerum gubernatricem celebrat.

43. Pierre Boyancé, *Lucrece et l'épicurisme*, Lutetiae Parisiorum 1963

44. Michael Erler, in: Hellmut Flashar (ed.), *Die hellenistische Philosophie*, vol. 1, Basileae 1994, S. 381–490

45. Stuart Gillespie / Philip Hardie (ed.): *The Cambridge companion to Lucretius*, Cantabrigiae 2007

30. **C. Valerius Catullus**, Veronae circiter a. 84 a.Chr. natus, nunc paene propter sola carmina amatoria notus est. Quae tamen parua totius operis pars est, quod fere 2300 uersus complectitur; redit autem ad unum codicem Veronensem. Fuerunt autem ibi carmina hunc in modum disposita: 1-60: polymetra minora, 61-64 polymetra maiora (63 *Attis*, 64 *Peleus*), 65-68 A/B elegiaca maiora (66 *Coma Berenices*, 68B *Ad Allium*), 69-116 elegiaca minora s. epigrammata. Quae sic ab ipso poeta in unum librum redacta esse multi existimant, quod parum ueri simile est. Sunt autem diuersa poemata uel arte scribendi, cum alia diligentissime elaborata, alia negligentius effusa uideantur.

46. Arthur L. Wheeler, *Catullus and the traditions of ancient poetry*, Berceleiae & al. 1934 (iter. 1964)

47. Hans Peter Syndikus, *Catull: Eine Interpretation*, 3 uol., Darmstadii 1984-1990 (iter. 2001)

31. Omnia carmina quae certis temporibus attribui possunt, ad annos 56 ad 54 a.Chr. pertinent. Tamen plurimi uiri docti multo antea uolunt scripta esse carmina ad **Lesbiam**, quae fuerit Clodia Metelli (cos. 60 a. Chr.), soror P. Clodii Pulchri, tribuni plebis. Sed id parum probabile uidetur. Nec pulcherrima elegia *Ad Allium* (68 B) ad eam spectare potest, qua Catullus primus „seruitium amoris“, quod postea dicitur, adumbrat. In Lesbia contra aliud genus amoris quaerit, quod foedere quodam iunctum et amicitiae Romanae simile sit.- Multa etiam scripsit contumeliosa in Caesarem, quicum tamen postea uidetur redisse in gratiam.

48. Wilfried Stroh, „Lesbia und Juventius“ (primum 1990), in: W.St., *Apocrypha*, Stutgardiae 2000, 79-99

32. Inter amicos Catulli fuerunt C. Licinius Caluus (orator et poeta) et C. Heluius Cinna: Hos tres una cum aliis nonnullis (ut Cornificio, Caecilio, Bibaculo) nunc uiri docti inter se coniungunt et communi nomine **neotericorum** denotant. Quos omnes Callimachum secutos esse, a Cicerone autem contemptos credunt. Sed id ex paucis locis Ciceronianis uix elucet.

49. N.B. Crowther, „Hoi neōteroi, poetae novi, and cantores Euphorionis“, *CQ* N.S. 20, 1970, 322-327

Schola VII: De Vergilio poetarum principe

33. **P. Vergilius Maro** tantum in poesi eminent quantum Cicero in prosa. Tribus carminibus eam gloriam adeptus est, quae ipse, si uerum est, sic signauit: *CECINI PASCVA RVRA DVCES*, sc. *Bucolica*, *Georgica*, *Aeneidem*. Grammatici ueteres in hac successione operum inesse uoluerunt humani generis quandam progressionem. Crescit enim personarum dignitas, cum in *Bucolicis* pastores serui loquuntur, in *Georgicis* agricolae, in *Aeneide* reges ducesque. Augetur etiam operis nobilitas: bucolicum genus ad Theocritum recentiore poetam redit, didacticum ad Hesiodum antiquiorem, epicum ad Homerum omnium poetarum maximum.

50. Philip R. Hardie, *Virgil*, Oxonii 1998

34. **Vita** nobis nota est e Seruio, quo usus est Donatus grammaticorum nobilissimus. Mantuae natus a. 70 a.Chr.n. Cremonae, Mediolani educatus est. Diu apud rhetorem fuit, ipse patronus esse in iudiciis non poterat. Valedicit rhetoribus in his: *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae* ... (catal. 5) seque Sironi philosopho Epicureo addicit. Fere XXV annos natus, *Bucolica* (aut *Eclogas X*) scribere coepit, *Syracosio uersu*, ut dicit (ecl. 6,1). Sexta ecloga meo iudicio prima fuit, composita ad laudandum *Nemus Gryneum* Corneli Galli amici (cuius in ecloga X etiam *Amores* celebrantur). E posterioribus duae (I et IX) ad agros pertinent, quos Vergilius amiserat. Notissima est ecloga IV, ubi Vergilius puellum diuinum nasciturum uaticinatur, qui secum aurea saecula reducat. Quis hic sit, magna inter grammaticos lis est.

51. Wilfried Stroh, „Horaz und Vergil in ihren poetischen Gedichten“, *Gymnasium* 100, 1993, 289-322.

35. *Georgica*, Maecenati dedicata, nomen a prima parte habent. Sunt enim scripta ut lib. I ad fruges, II ad uineas, III ad pecora, IV ad apes pertineat, quorum omnium cultum Vergilius aequa diligentia ac doctrina describit. Cur scripserit, ipse declarat, cum dicit se miseratum esse *agrestes ignaros uiae* (1,40). Fuerunt tum certe multi ueterani agris donati, qui institutione egerent. Contra autem Seneca (epist. 86,15) carmen ad solam delectationem lectorum factum esse affirmat – an iure? Laudes uitae rusticae in lib. II certe Vergilius scripsit ut ad amorem agri culturae inflammaret. In lib. I *laborem improbum* ut necessarium et a Ioue institutum defendit, ualde Stoice! Absolutum est opus a. 29, quo id poeta una cum Maecenate Octauiano recitauit. Huius iussu eum laudes Galli deleuisse, quae in lib. IV fuerint, traditur.

52. L.P. Wilkinson, *The Georgics of Virgil: A critical survey*, Cantabrigiae 1969

53. Eckhard Christmann, „Zur antiken Georgica-Rezeption“, *WJA* 8, 1982, 57-67

36. *Aeneis* ex epicis Romanorum carminibus primum est quod nobis integrum traditum sit. Duplex autem, ut Seruius dicit, habet propositum: (1) Homerum imitari, (2) Augustum laudare a maioribus. Homeri (1) autem non solum singulos locos exprimit, sed etiam carminis dispositione eum reuocat. Nam ut prima pars (libri I-VI) Odysseae similis est, ita secunda Iliadi. Augusti (2) autem exemplar Aeneas uel eo est quod non modo armis, sed etiam pietate excellit (in deos et erga patrem filiumque). Nouum est quod Aeneas uoluntatem fati (siue Iouis) explere cogitur, quae spectat ad Romam futuram, cuius historia multis locis praedicitur.

56. Richard Heinze, *Virgils epische Technik*, Lipsiae (1903) ³1915 (saepe postea editum)

55. Werner Suerbaum, *Virgils Aeneis: Epos zwischen Geschichte und Gegenwart*, Stutgardiae 1999

37. Non incipit poeta *ab ouo*, sed rapit *in medias res*, sc. in tempestatem, qua Aeneas de fati desperat, deinde Karthaginem ad Didonem (I), ubi res anteactae longa narratione (II/III) repetuntur. Lib. IV facit Aeneam amore Didonis captum fatorum obliuisci, tum a Mercurio admonitum oratorie sese excusare aduersus Didonem, quae mortem obitura est. A Sicilia (V) uenit in Campaniam, ubi a Sibylla de futuris certior fit (VI). Secundae partis (VII-XII) initium iterum a Iunone irata commouetur. Hic autem Turnus, rex Rutulorum, cui sponsa ab Aenea eripitur, Achilli similior est. Diu exspectatur ultima pugna inter riuales, quae a Vergilio in finem differtur. Vbi ualde nunc disputatur Aeneas pie an impie aduersarium occiderit.

Schola VIII: De Q. Horatio Flacco

38. Vergili amicus erat **Horatius**, qui illum nonnumquam in carminibus appellauit. Vterque erat inter amicos Maecenatis, qui nunc etiam *Maecenatis circulus* uocatur. (Quod autem *Messallae* quoque *circulum* fuisse dicunt, id minus ueri simile uidetur.) Nec nobilissima origine Horatius erat. Nam, ut ait (sat. 1,6,45), Venusiae *libertino patre natus* ingenium expoliuit Athenis, ubi Academicos philosophos audiebat; tum a. 43 M. Bruti arma secutus est, post pugnam Philippensem a. 42 agros paternos perdidit, ut scriba quaestorius uictum sibi quaerere coactus est. Tunc, dicit (epist. 2,2,51), *paupertas impulit audax ut uersus facerem*.

56. Eduard Fraenkel, *Horace*, Oxonii 1957 (it. 1966), Germanice: Darmstadii 1967

57. Scevola Mariotti (ed.), *Enciclopedia Oraziana (fondata da Fr. della Corte)*, 3 uol., Romae 1996-1998

58. Stephen Harrison (ed.), *The Cambridge companion to Horace*, Cantabrigiae et al. 2007

39. Coepit autem ad imitationem Lucili **Saturas** scribere (duobus libris), ita tamen ut illius Musam audaciorem et mordaciorem temperaret, cum *ridentem dicere uerum* (sat. 1,1,24) sibi proposuisset. Magnis certe personis pepercit. Quorum carminum materia magnam partem e philosophia morali sumpta est, ubi Horatius tamen non Academicos, sed Epicureos sequitur. Castigat enim maxime inutiles et superfluas hominum cupiditates, ut auarorum, adulterorum, laudat illud *Lathe biōsas*. Dicendi genere autem floridissimo aemulatus uidetur Bionem Borysthenitam cynicum, quare etiam de suis *Bioneis sermonibus* loquitur (epist.2,2,60). Hexametrorum autem paene nouum genus inuenit, quod est mirae gratiae et leporis.

59. Nils-Ola Nilsson, *Metrische Stildifferenzen in den Satiren des Horaz*, Vpsalae 1952

40. Notus factus Maecenati dono accepit ab eo agrum illum Sabinum quem totiens laudat. Vt iam in primo carmine **Epodon** (s. *Iamborum*), quos proximos edidit exemplum secutus Archilochi Parii poetae iambici, qui s. VII floruit. Nomen autem habent ex eo quod binis uersibus constant, quorum alter *epōdos* dicitur. Genus dicendi e magna parte est uituperatorium. Notissima autem sunt ea carmina quibus Horatius bella ciuilia deuouet, maxime illud XVI quo contra eclogam IV Vergili scribere uidetur, cum omnem spem salutis abiciat, fugam in aliquas Insulas beatiores suadeat.

41. In **Odis** (s. carminibus lyricis, a. 23 editis) autem cum re publica, quam contempserat, quasi in gratiam redire uidetur: Romanam ciuitatem *nuper sollicitum ... taedium, nunc desiderium* sibi esse dicit (carm. 1,14,17). Quo opere tribus libris confecto uestigia maxime Alcaei Lesbii (i.e. Aeolii) et Anacreontis Tei lyricorum premit; gloriatur autem sese principem *Aeolium carmen ad Italos / deduxisse modos* (carm. 3,30,13). Erant autem ea carmina, quod tamen multi negant, cantui destinata. Quare Ouidius testatur se Horatium audiuisset (non legisse), *dum ferit Ausonia carmina culta lyra* (trist. 4,10,59 sq.). Manifestum est uero eum a. 17 a.Chr. docuisse chorum puerorum puellarumque, ut **Carmen saeculare** ad Ludos saeculares compositum rite canerent. Quos cum monet ut seruent *Lesbium ... pedem meique pollicis ictum* (carm. 4,6,35), spectat ad lyram qua ipse in docendo usus est. Et quoniam huic carmini tantopere plausum est, decem annis post librum IV *Odarum* addidit, in quo etiam Pindarum paulum imitatur. Sed ut poetam religiosum decet, ualedicit in Lyricis impietati illi Epicureae erga deos, non tamen eis praeceptis Epicuri quae ad mores pertinent.

60. Hans P. Syndikus, *Die Lyrik des Horaz*, 2 uol., Darmstadii (1972/3) 32001 (comm. perpetuus)

42. In **Epistulis** iterum agit de ratione recte uiuendi, non, ut ait, uni magistro addictus, sed leuitate quadam modo ad hanc, modo ad illam disciplinam inclinans (quae ratio iniuria nunc *eclectica* dicitur). Epistulae similis est etiam sermo poeticus quem **ad Augustum** illius rogatu scripsit (qui non iure alicui „Libro II Epistularum“ adscribitur). Atque hic queritur quod Romani male de poetis iudicent, ueteres nouis praeferant. In Libro autem **De arte poetica** scripto ipse quid poeta in carminibus sequi debeat praecipit. Nec de omnibus dicit, sed tantum de *arte*, ut titulus indicat (quem multi deprauant in *Epistulam ad Pisones*).

Schola IX: De poetis elegiacis

43. *Elegia quoque Graecos prouocamus*, ait Quintilianus (inst. 10,1,93), nec mentitus est; nam ea quae **elegia amatoria** dicitur paene propria Romanorum est. Olim hoc opus a Callimacho Philetaque (quos Propertius saepius laudat) inuentum a uiris doctis putabatur, nec nunc desunt qui credant. Refutauit tamen Felix Jacoby (1905), qui Graecos illos de aliorum amoribus, Romanos primos de suis dixisse comprobauit. Romanorum autem elegiae id commune habent, primum quod non ad puellas ingenuas, sed ad condicione inferiores mulieres, praesertim libertinas pertinent, deinde quod poetae se quasi seruire suis puellis quas dominas uocant, dicunt, denique quod carmina sua ideo poetae se scribere fingunt, ut eas dominas plerumque duras molliant sibi concilient.

61. Felix Jacoby, „Zur Entstehung der römischen Elegie“, *RhM* 60, 1905, 38-105

62. R.O.A.M. Lyne, *The latin love poets: From Catullus to Horace*, Oxonii 1980

44. Inuentorem huius operis non tam Catullum, qui tamen quaedam similia habet, quam C. **Cornelium Gallum** fuisse e multis cognoscitur (quamquam eius carmina paene tota perierunt). Fuit Vergili et Augusti amicus, donec is ei amicitiam renuntiauit, quare ipse sese occidit. Amavit autem mimam siue meretricem notissimam, Cytheridem nomine, quam in carminibus *Lycoridem* appellabat, cum ei quattuor libros *Amorum* dedicaret. Qui diu e sola ecloga decima Vergili noti erant, ubi ille Gallum inducit in media Arcadia de amica sua quae cum milite aufugerit conquerentem. Nam hic Vergilium multa ex *Amoribus* amici admiscuisse Seruius testis est. Nuper autem charta papyracea inuenta est, quae complures ipsius Galli uersus exhibet. Vnde discimus eum iam aetate Iuli Caesaris elegos ad *dominam* suam confecisse. Ceterum hexametris *Nemus Gryneum* scripsit epyllium aetiologicum ad imitationem Euphorionis poetae obscurissimi. Cuius mentionem in ecloga sexta Vergilius facit; significat id etiam Cicero cum irridens dicit de *cantoribus Euphorionis* (Tusc. 3,45).

63. R.D. Anderson / P.J. Parsons / R.G.M. Nisbet, „Elegiacs by Gallus from Qasr Ibrîm“, *JRS* 69, 1979, 125-155

64. Wilfried Stroh, „Die Ursprünge der römischen Liebeselegie: Ein altes Problem im Licht eines neuen Fundes“, *Poetica* 15, 1983, 205-246

45. Eum secutus est **Sex. Propertius**, qui inde ab a. 29 ad a. 22 a.Chr. tres libros elegorum amatoriorum scripsit ad *Cynthiam*, quam uero nomine Hostiam fuisse Apuleius (apol. 10) affirmat. Natus autem est Assisi in Umbria, quare in fine primi libri (1,22) queritur de bello Perusino, in quo Octavianus s. Augustus crudelissime egit. Cum autem in amicitiam Maecenatis acceptus esset, iam magis blandiri coepit Augusto in secundo et tertio libro, quamquam ibi quoque se aduersarium legum de matrimoniis fatetur (2,7). In quarto denique libro postea (post a. 16) addito, qui iam non plurima amatoria habet, ipsam pugnam Actiacam laudat (4,6). Admiratione dignissimus liber primus est, in quo Propertius ut nemo antea dolores ac cruciatus eius describit, qui seruitio amoris teneatur – quem tamen usque ad finem uitae duraturum credit. In secundo et tertio se liberare studet a domina crudeli; hic primum Callimachus et Philetas ut exempla nominantur. Sermo ubique difficilis, paene obscurus.

65. John P. Sullivan, *Propertius: A critical introduction*, Cantabrigiae 1976

46. Multo mollior fuit **Albius Tibullus**, amicus et Horati et Messallae, qui librum primum edidit a. 26; secundus post mortem a. 19 diuulgatus uidetur. Neque is doctrinam suam tam exhibet quam Propertius, qui ubique remotissimas fabulas inculcat, sed magis celat. Concelebrat autem tres amores: in primo libro *Deliae* (quod nomen pro Plania positum esse traditur), deinde *Marathi*, pueri delicati, in secundo *Nemesis*. Hi autem amores non inter se coniunguntur, ut continua quaedam narratio existat, sed quasi iuxta ponuntur. Tibullus quamquam seruum amoris se profitetur uix minus se captum dicit illecebris uitae rusticae. Queritur autem saepe de saeculo suo in quo pecunia plus ualeat quam amor: quam etiam causam dicit perfidiae tam in puellis quam in pueris. – Adiungitur in *Corpore Tibulliano* q.d. duobus libris tertius, qui habet elegias Lygdami cuiusdam et Sulpiciae. De origine dubitatur.

Schola X: De P. Ouidio Nasone

47. Ouidi uita nobis ex ipsius carmine (trist. 4,10) nota est. Sulmone natus Romae nobilissimos rhetores audiuit, Arellium Fuscum et Porcium Latronem. Exstat etiam ipsius controuersia, quam adulescens declamauit. Recitare coepit fere XVIII annos natus carmina elegiaca de puella quam Corinnam appellauit. Vnde orti sunt eius *Amores*, quos primum V, deinde III libris edidit. Qui ingenio et lepore omnia uincunt quae antea in Latina poesi scripta sunt. Vbique etiam elucent sententiae oratoriae. Maxima est materiae et personarum uarietas. Veneris uoluptas apertius celebratur quam a prioribus elegiacis. Nec sine periculo poeta leges Iulias irridet quas Augustus a. 18 de matrimoniis et adulteriis tulit.

66. Hermann Fränkel, *Ein Dichter zwischen zwei Welten* (primum Angl. 1945), Darmstadii 1970

67. Michael von Albrecht, *Ovid: Eine Einführung*, Stutgardiae (Reclam) 2003

48. *Medea* tragoedia periit. Extant *Epistulae (heroidum)* quae nunc dicuntur, quas feminae e fabulis sumptae ad amicos aut maritos scripsisse finguntur. Vt in *Amoribus* amor uirilicis sic hic femineus describitur qui et ardentior et fidelior uidetur. Diligenter ubique seruatur morum differentia. Videtur autem opus diuisum fuisse in tres libros, quorum quisque quinque epistulas continebat. E maiore parte suasoriae sunt, ita tamen ut uis persuasionis paulatim decrescat. Quamquam ubique uerae epistulae sunt. In eis, quae postea additae sunt, epistulis duplicibus q.d., uir prior scribit, rescribit femina. Hic Amoris uis uiros ita incitat, ut inaudita audeant.

68. Howard Jacobson, *Ovid's Heroides*, Principitoniae 1974 (tantum de epistulis singulis)

49. *Ars amatoria* III libris edita, quorum priores ad uiros spectant, tertius ad puellas, carmen est uere didacticum, quod multi negant. Qui Ouidium lusisse tantum dicunt, quod amor doceri non queat. Nec eum ipsum tamen poeta docere uult, sed sic instituere discipulos non ut ament, sed ut amentur. Quod uiri maxime efficiunt artibus oratoriis, feminae cultu corporis et morum comitate. Multum rhetoricae habent etiam *Remedia amoris*, quae *Arti* minime repugnant, sed extirpationem affectus, si quidem molestus fieri coepit, quaerunt. Hic primum poeta lasciuitatem Musae aduersus censores defendit. Nam in *Arte* audacter leges Iulias uexauerat.

69. Julia Wildberger, *Ovids Schule der "elegischen" Liebe [...]*, Francofurti/M. et al. 1998

50. *Metamorphoses* Ouidius hexametris perpetuis scripsit ut uerum epos uideretur. A quo tamen differt, quod non unam fabulam continuo tenore explicat, sed fere CCL fabulas artificiose inter se conglutinat, a prima origine mundi ad Caesaris apotheosin. Quae fabulae natura eo solum cohaerent quod in metamorphosin aliquam desinunt. Ouidius autem maximam uarietatem affectat eo quod multa genera carminum hic inter se commiscet: insunt epica, elegiaca, tragica, lyrica, bucolica, philosophica; insunt declamationes et una epistula. Opus XV libris scriptum neque a poeta exule perfectum et editum est. Item imperfecti sunt *Fasti* quibus Ouidius XII menses anni ita elegiaco carmine complecti uolebat, ut singulos dies, festos, etiam siderum ortus occasusque describeret secutus quadamtenus Callimachi *Aetia*. Absoluerat tantum sex menses, cum exul fieret, quos tamen retractare coepit.

70. G. Karl Galinsky, *Ovid's Metamorphoses: Introduction to the basic aspects*, Berkeleiae / Angelopoli 1975

51. Anno p.Chr. 8 Ouidius ab Augusto edicto i.e. sine uero iudicio Tomos ad Pontum Euxinum relegatus est. Causa nominabatur quod in *Arte amatoria* adulterium docuisset; uerior causa in aliquo scelere, cuius Ouidius conscius fuit, quaerenda est. Defendit sese contra prius crimen in libro II *Tristium*, de altero, ut uidetur, tacere cogitur. Ceterum libri V *Tristium* et IV *Epistularum ex Ponto* magis quam ulla carmina nobis antiquitus seruata e ueritate uitae hausti uidentur. Quae tamen non certo proposito carent. Vult enim Ouidius his carminibus, quae tam ad amicos uxoremue quam ad omnes lectores eruditiores scripta sunt, et efficere ut ipse ab exilio reuocaretur, et a Musa consolationem dolorum aliquam quaerere.

71. Wilfried Stroh, „Tröstende Musen: Zur literarhistorischen Stellung und Bedeutung von Ovids Exilgedichten“, *ANRW II* 31.4 (1981) 2638-2684.

Schola XI: De Augustae aetatis scriptoribus prosae. De aetatis imperatoriae litteris.

52. Augusta aetate Latina philosophia conticuit: nam Sextii, Romanae disciplinae auctores, Graece scripserunt. Magis floruit **historia**: Asinius Pollio bella ciuilia inde ab a. 60 descripsit (Hor.carm. 2,1); Pompeius Trogus *Historiis Philippicis* omnes res ab hominibus gestas complexus est (quod opus postea Iustinus in compendium redegit). Longe autem excellit **T. Liuius** Patauinus, qui 142 libris res Romanas *ab urbe condita* copiosissime conscripsit, unde nobis triginta quinque libri restant (1-10, 21-45). Sed adsunt etiam ceterorum periochae. In fontibus perpendendis negligentior uidetur, maximus tamen in scribendo artifex, Ciceronem potissimum secutus, unde ei Quintilianus *lacteam* quandam *ubertatem* adscribit. In rerum causis scrutandis ad exemplum Sallusti plurimum tribuit moribus: parsimonia et paupertate rem Romanam creuisse putat, auaritia et luxuria pessumdatam. In Augusto laudando modicus est; is eum etiam *Pompeianum* uocauisse dicitur.

72. Erich Burck, *Das Geschichtswerk des Titus Livius*, Heidelbergae 1992

53. Inter **oratores** eminuerunt Asinius Pollio, Cassius Seuerus, T. Labienus (etiam auctor historiae, quae senatus consulto combusta est). Sed maior erat gloria **rhetorum**, qui minus in foro quam in scholis suis declamauerunt. Quorum nomina et uirtutes nobis optime declarat L. Annaeus **Seneca maior** philosophi pater in *Controuersiis et suasoriis*, i.e. declamationum reliquiis. Notissimi erant M. Porcius Latro Hispanus et Arellius Fuscus Asiaticus, quorum discipulus Ouidius fuit ab illis sententiosum illud genus dicendi mutuatus.

73. Wilfried Stroh, *Die Macht der Rede: Eine kleine Geschichte der Rhetorik im alten Griechenland und Rom*, Berolini 2009, 401-426

54. **Aetate imperatoria**, cuius partem primam etiam *aetatem argenteam* (Erasmus secuti) uocamus, **lingua Latina** in sua condicione quasi constitit: neque in syntaxi neque in morphologia q.d. multas nouationes admisit. Quod e ueneratione maximorum auctorum ortum uidetur. Vt ait Seneca: *quidquid Romana facundia habet [...], circa Ciceronem effloruit*. (contr. praef.). Similiter Statius suam *Thebaidem* Vergili *Aeneide* longe inferiorem existimat (12,816); Silius Italicus autem Vergili sepulcrum ut aedem sacram coluisse dicitur. Vnde tunc scriptores magis Romana exempla quam ut antea Graeca imitari coeperunt. – Diuidenda est autem haec aetas non, ut multi faciunt, in partem priorem, quae ad Traianum extendatur, et posteriorem; sed secundum Manfredum Fuhrmann in duo tempora quae distinguuntur summo illo discrimine, quo res imperii tertio saeculo labefactae sunt.

74. Manfred Fuhrmann, „Die lateinische Literatur der Spätantike: Ein Beitrag zum Kontinuitätsproblem“ (primum 1967), in: *Brechungen [...]*, Stutgardiae 1982, 47-74

55. Imperatore **Tiberio** Annales Cremuti Cordi, qui Cassium *ultimum Romanorum* scripserat, publice cremati sunt. Fauorem imperatoris magis quaerebant Velleius Paterculus, qui eum in *Historia Romana* panegyrici more celebravit, et Valerius Maximus, qui *Factorum et dictorum memorabilium* IX libros composuit. Tum poetae fuerunt Germanicus *Phaenomenorum* auctor et M. Manilius qui in *Astronomicorum* libro primo eam quam nos astronomiam uocamus explicauit, ceteris quattuor quam dicimus astrologiam; fuit enim Stoicus. Maiorem famam adeptus Phaedrus est, qui primus fabulas Aesopias s. apologos Latine tractauit non trimetro sed senario uetustiore usus. Dicit autem sese incurrisse in odium Seiani tum potentissimi.

75. Niklas Holzberg, *Die antike Fabel: Eine Einführung*, Darmstadii 2001

56. Imperatore **Caligula** satis insano et Seneca maior suum opus (u. supra) edidit et **Seneca minor** scribere coepit (cui tempori tribuenda est *Consolatio ad Marciam* Cremuti Cordi filiam). Qui aucupationem illam sententiarum quae tunc apud rhetores uiguit transtulit in philosophiam, ideo reprehensus a Quintiliano. Idem imperatore Claudio Corsicam relegatus est propter adulterii crimen. Vbi *Consolationem ad Polybium* scripsit adulationis plenam. Grator uidetur *Consolatio ad Heluiam matrem*, in qua philosophi fortissimi personam tuetur.

Schola XII: De aetatis imperatoriae litteris (pars II)

57. Quanta spes fuerit in **Nerone** imperatore (54-68) adolescente demonstrat L. Annaei **Senecae** *Apocolocyntosis*, ubi ille tamquam aurei noui saeculi princeps salutatur. Ac profecto paene ut aetate Augusta litterae tunc effloruerunt. Ad imitationem Vergili Calpurnius Siculus scripsit sua *Bucolica*, Horatium secutus est Caesius Bassus in lyricis, quae perierunt, A. Persius Flaccus in sex *Satiris* non solum Stoicae disciplinae, sed etiam obscuritatis plenissimis. Tunc scriptae uidentur etiam decem tragoediae Senecae, quarum octo nunc ab omnibus genuinae putantur: *Hercules furens*, *Troas (Troades)*, *Thebais (Phoenissae)*, *Medea*, *Phaedra*, *Oedipus*, *Agamemnon*, *Thyestes*. Quas scaenae plurimi abiudicant, sed iniuria. Neroni adolescenti scripti sunt Senecae libri *De clementia*; noti sunt etiam *Dialogorum* libri XII et *Naturalium quaestionum* libri VII; fama celeberrimae autem sunt *Epistulae morales* ultimis uitae annis scriptae. Tum a. 65 a Nerone sese interficere coactus est.

76. Miriam T. Griffin, *Seneca: A philosopher in politics*, Oxonii (1976) ²1992

77. John G. Fitch (ed.), *Seneca*, Oxonii 2008

58. In similem calamitatem inciderunt etiam M. Annaeus Lucanus et T. Petronius litterarum nouatores. Nam **Lucanus**, cum carmen epicum scriberet, *Bellum ciuile* (quae etiam *Pharsalia* dicitur) – est autem de Caesare et Pompeio -, ex eo deos immortales primus submouit. Quod reprehendit **Petronius** in *Satyriscis* suis (118). Hoc autem opus ab eis qui nunc litterarum historiam conscribunt generi tribuitur quod uocant „Roman“ – quae res apud ueteres proprio nomine caret. Fuerunt sane apud Graecos similes fabulae prolixiores, in quibus amator aliquis a sua amica diuellitur, donec post multos errores in fine inter se coniunguntur. Petronius autem Encolpium inducit qui non puellam sed puerum amat. Vnde fuerunt qui Petronium per parodiam ludere uoluisse tales fabulas Graecas crederent. Vtilissimum autem nobis opus est etiam ad Latinitatem uulgarem q.d. cognoscendam, maxime in *Cena Trimalchionis*.

78. Richard Heinze, „Petron und der griechische Roman“, *Hermes* 34, 1899, 494-519 (et saepius)

59. **Aetate Flauia** q.d. (69-96) tres eminuerunt **poetae** epici. Nam Valerius Flaccus, cum *Argonautica* VIII libris componeret, illam primam nauigationem assimilauit D. Vespasiani expeditioni Britannicae. Silius Italicus autem in *Punicorum* l. XVII et Liuium secutus et Vergilium imitatus est. Vtroque autem ingeniosior Papinius Statius exquisitissimo genere dictionis et *Thebaidem* XII libris et *Achilleidem* II libris, quae imperfecta est, scripsit. Carmina minora subito facta V libris *Siluarum* collegit. Longe aliud opus coluit M. Valerius Martialis: qui *Epigrammatum* XII libris (et *Libro spectaculorum*) totum id genus eo nouauit quod omnia carmina ad sententiam s. acumen aliquod in fine deduxit. **Prosam** orationem eo tempore coluerunt et Plinius maior in *Naturalis historiae* l. XXXII, quibus omnia physica magis describuntur quam explicantur, et M. Fabius Quintilianus, cuius *Institutionis oratoriae* XII libris ars rhetorica diligentius quam usquam explanatur: opus sane immortale.

79. George A. Kennedy, *Quintilian*, Neo-Eboraci 1969

60. **Neruae et Traiani aetas** (96-117) scriptores nobilissimos tulit Plinium minorem et Tacitum. Quorum alterius praeter *Panegyricum* notae sunt Epistulae quas accuratissime elucubratis IX libris collegit. Cuius amicus P. Cornelius **Tacitus** nunc quoque pro summo rerum scriptore habetur. Amatur autem maxime eius genus dicendi, quod iam in *Agricola* apparet: est breuitas quaedam plus quam Sallustiana, est illa membrorum inconcinnitas et contemptio clausularum; maxime autem sententias aucupatur. Secuta est *Germania* Germanis carissima, tunc *Dialogus de oratoribus*, in quo de corrupta eloquentia quaeritur. Maxima autem eius opera nobis non tota seruata sunt: *Historiae*, quibus res post Neronis mortem gestas composuit, et *Annales*, qui ab excessu Augusti res Romanas continent. Ex utroque opere elucet amor libertatis, qui illo statu ciuitatis qui tum fuit uix contentus esse poterat.

80. Ronald Syme, *Tacitus*, 2 uol., Oxonii 1958

Schola XIII: De aetatis imperatoriae litteris (pars III). De Christianorum litteris primis.

61. **Hadrianus** imperator (117-138) et ipse poeta Latinus fuit, magis tamen ad Graeca propensus. Huic *ab epistulis* erat Suetonius Tranquillus, cuius e *Viris illustribus* restant VIII libri *De uita Caesarum* et utilissimus liber *De grammaticis et rhetoribus*. Postea **Antonino Pio** (138-161) imperatore Romae floruit Cornelius Fronto tum orator illustrissimus, doctor **M. Aureli** (161-180). Qui Fronto quod prisca uerba captabat, nunc pater ‚archaismi‘ uocatur. Quam rationem secutus A. Gellius scripta uetustiora Romanorum perscrutatus multa excerpsit et in *Noctium Atticarum* XX libris iucunde collegit. Ingenio autem omnes superauit Apuleius Madaurensis, qui non Romae, sed in Africa oratoriam artem exercebat. Erat idem philosophus Platonius et fabulae romanicae scriptor, quae *Metamorphoseon* titulo celeberrima est. Sed acumine uix minor est Terentianus Maurus, qui *De litteris syllabis metris* carmina fecit.

81. Klaus Sallmann (Hg.), *Die Literatur des Umbruchs: Von der römischen zur christlichen Literatur 117-284 n. Chr.*, Monachii 1997 (HAW VIII.4)

62. **Africa** etiam mater est **Christianarum** litterarum Latinarum. Ibi enim saec. II Sacram Scripturam uertere Latine coeperunt, quae nunc *Vetus Latina* appellatur; inde ad nos uenerunt *Acta martyrum Scilitanorum*, qui primus liber Christianus dicitur (post A.D. 180) et Passio Vibiae Perpetuae. Postea Karthagine floruit is qui uerus auctor Latinarum litterarum Christianarum putandus est, **Tertullianus**. Notissimum eius est *Apologeticum*, quo *ad Romani imperii antistites* Christianorum uitam et religionem defendit. Multa etiam scripsit seuerere de moribus Christiano homini tuendis; denique Montanorum sectae adhaesit. Amoeniore ingenio fere eodem tempore fuit Minucius Felix, qui in *Octauiano* ueritatem Christianae doctrinae aduersus paganos uindicabat. Hos secutus est Caecilius Cyprianus episcopus Karthaginensis scriptor dulcissimus decollatus A.D. 258. Hexametris autem ualde barbaris duo carmina didactica scripta Commodianus quidam reliquit.

82. Siegmund Döpp / Wilhelm Geerlings (Hg.), *Lexikon der antiken christlichen Literatur*, Friburgi u.a. 32002

63. Saeculo III., cum imperium Romanum paene interiret, iacuerunt fere omnes litterae exceptis Christianorum et iuris peritorum libris. Sed **Diocletiano** imperatore (284-305) una cum scholis grammaticis et litterae renouatae sunt. Tunc Nemesianus sua *Cynegetica* fecit, tunc M. Plotius Sacerdos *Artes grammaticas* scripsit, quem longa series Grammaticorum Latinorum secuta est, inter quos Aelius Donatus notissimus est, diligentissimus erat Priscianus. Deinde cum **Constantinus** imperator (306-337) Christianam religionem auxisset, hoc genus scriptorum uiguit: Scripsit Lactantius inter alia multa more philosophorum *Diuinarum Institutionum* libros VII. Nec ualde nocuit quod postea Iulianus Apostata q.d. (361-363) paganos cultus restituere cupiebat. Nobilissimi scriptores erant D. Ambrosius episcopus Mediolanensis, D. Hieronymus uitae monasticae defensor, qui (382-385) uersiones Sacrae Scripturae uarias in unam formam redegit (nunc quae *Vulgata* dicitur), omniumque celeberrimus **Augustinus**: Is in *Confessionibus* uitam suam coram Deo explicauit, in libris *De ciuitate Dei* omnem historiam a creatione mundi ad Supremum iudicium pertexuit, in libris *De doctrina Christiana* artis exegeticae et homileticae fundamenta iecit.

83. Reinhart Herzog (Hg.), *Restauration und Erneuerung: Die lateinische Literatur von 284-374 n. Chr.*, Monachii 1989 (HAW VIII.5)

84. Manfred Fuhrmann, *Rom in der Spätantike: Porträt einer Epoche*, Turici 1994 (et saepius)

65. Nec defuerunt **poetae Christiani**. Post Commodianum Iuuenius primus *Euangelia* in carmen epicum IV librorum conuertit; tum Hilarius et praecipue D. Ambrosius nouo genere carminis inuento, sc. dimetro Ambrosiano, hymnos in usum cantandi fecerunt. Sed gloriam Horati Christiani sibi Prudentius Hispanus libris *Cathemerinon* et *Peristephanon* uindicat. Obscurior his est Ennodius Theoderici regis laudator. Plurimum autem in re metrica nouauit D. Augustinus, qui in *Psalmo contra Donatistas* scripto poesis rhythmicae q.d. uiam aperuit.

Schola XIV: De serae antiquitatis q.d. litteris. De Caroli Magni reformatione litterarum.

66. Neque omnes scriptores fidem Christianam litteris profitebantur. Inter hos **saec. IV** eminent Magnus **Ausonius** Gallus, clarus propter *Mosellam* et amores Bissulae Suebae. Orationibus et epistulis eo tempore nomen meruit Q. Aurelius **Symmachus**, qui a. 384 cum D. Ambrosio episcopo bellum gessit de ara Victoriae in curia restituenda. Iuliani Apostatae admirator erat **Ammianus Marcellinus**, qui *Rerum gestarum* libris XXXI (a Nerua ad Valentem) Taciti *Historias* suppleuit. Notiores apud posteros extiterunt IX libri prosimetri *De nuptiis Mercurii et Philologiae*, quos tum scripsit **Martianus Capella**; habent enim expositionem septem artium liberalium. Verissimum autem poetam ea aetate Alexandria produxit, Claudium **Claudianum**, amicum et praeconem Stilichonis Vandali tum militum ducis felicissimi. Is iucundissime fabulas deosque Graecos Romanae immiscuit historiae, ut post Ouidium uix quisquam ingeniosius scripserit. **Saec. V** memorabilis maxime est **Rutilius Namatianus**, qui II libris *De reditu suo* Romam ut orbis reginam celebrat, uitam monachorum acerbè exagitat.

67. Desinere solent historiae Latinarum litterarum in **Boethium**, qui Theoderico rege a. 524 perduellionis reus damnatus supplicioque affectus est – cum summo damno eruditionis. Is enim sibi proposuerat omnes Platonis Aristotelisque libros Latine conuertere, ut demonstraret eorum sententias praecipuas inter se consentire. Quod opus cum ipse uix incohasset, factum est ut illa ingenia per multa saecula laterent. Scripsit tamen praeter philosophicos et theologicos libros quaedam etiam de quadriuo. Cum autem in carcerem coniectus esset, solacia animi petebat non a praeceptis Christianis, sed a philosophia, quod testatus est dialogo dicto *Consolatio philosophiae*: Ibi in colloquiis cum ipsa Philosophia habitis maxime quaerit de quaestione, unde Deo regnante mala originem ducant, et de libero arbitrio hominis. Qui libri, uariis etiam carminibus lyricis iucunde ornati, usque ad hunc diem a plurimis leguntur.

68. Dissoluto imperio Romano, iacente disciplina grammatica **inde a saec. VI** plurimi Latine loqui et scribere dedidicerunt. Tunc e uulgari Latino sermone exiguo tempore exortae sunt linguae q.d. Romanicae. Nec tamen defuerunt in uariis terris boni scriptores Latini ut **Gregorius I.** papa et **Cassiodorus**, Viuarii conditor, qui suis *Institutionibus* ne artes liberales inter monachos perirent effecit. Multo rudior sermo est in *Regula* D. **Benedicti**, uix cultior in *Historia Francorum* **Gregorii Turonensis**. In Gallia autem ea aetate **Venantius Fortunatus** fuit poeta non spernendus, in Hispania paulo post **Isidorus** episcopus Hispalensis, qui XX libris *Etymologiarum* siue *Originum* tam multifariam doctrinam congescit, ut nunc Interretis patronus uocetur. Ac maxime litterae in Hibernia et Anglia colebantur, ubi **Beda Venerabilis** saec. VIII de historia et grammatica doctissime scripsit et carmina edidit. In Germania primus historicorum **Arbeo** Frisingensis erat, qui *Vitam S. Corbiniani* satis barbare conscripsit.

85. Wolfram Ax (ed.), *Lateinische Lehrer Europas*, Coloniae Agr. & al. 2005 (de Martiano Capella, Boethio, Cassiodoro, Isidoro, aliis)

69. Vt quondam Diocletianus sic tum meritis de litteris semimortuis est **Carolus Magnus** (768-814). Is enim ut ubique scholae grammaticae instituerentur curauit; idem uiros doctissimos ex omni Europa Aquisgranum uocauit, quorum celeberrimi sunt **Alcuinus** grammaticae renouator, **Einhardus** uitae Caroli scriptor, **Theodulfus** poeta. Nec tamen iure his et aliis Latinitatem mediaeualem („Mittelaltin“) adscribunt. Quorum uigore instinctae etiam tempore sequente litterae floruerunt. Discipulus Alcuini **Hrabanus Maurus** Fuldensis erat iam tum praeceptor Germaniae uocatus, eius discipulus **Walahfrid Strabo** Augiensis. Ad culmen autem hae litterae mediaeuales saec. XII uenerunt, quae propter imitationem Ouidi etiam aetas Ouidiana uocatur. Tunc fuerunt **Archipoeta** scriptor ingeniosissimus et **Otto Frisingensis** qui sua *Historia de duabus ciuitatibus* Augustini libros *De ciuitate dei* suppleuit.

86. Max Manitius: *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters*, 3 uol., Monachii 1911-1931

87. Peter Stotz: *Handbuch zur lateinischen Sprache des Mittelalters*, 5 uol., Monachii 1996-2004

Schola XV: De medio aevo et renescentium litterarum aetate. De litteris q.d. neolatinis.

70. Anno fere **1200** Alexander De Villa Dei edidit *Doctrinale*, quod totam grammaticam complectitur. Inde ab eo tempore Latinae litterae sensim declinant. Deficiunt poetae ingeniosi, scriptores prosaici boni. Praeualet ubique poesis uernacula. Quin **Dante** in libris *De uulgari eloquentia* linguas uulgares uetustiores et praestantiores quam Latinam affirmat. In scholis et uniuersitatibus tunc regnare coepit Latinitas quae **scholastica** dicitur. Ea qui utuntur – inter quos sunt Albertus Magnus, Thomas Aquinas – omnia diligentissime dicere student ita tamen ut eloquentiam despiciant. – Tamen Monacenses litterae paulum effloruerunt: Nam Ludouicus Bauarus imperator saec. XIV uiros doctissimos in suam aulam uocauit.

71. Corrupti sermonis aduersarius maximus extitit Franciscus **Petrarca**, a quo fere noua aetas litterarum incipit. Is amore Ciceronis inde a pueritia incensus eum unus imitari audebat, in *Africa* etiam laurum Vergili ambibat. Quare a senatu Romano in Capitolio a. 1341 coronatus est. Hunc secuti sunt qui **humanistae** dicuntur, quoniam *studia humanitatis* profitebantur: Boccaccius, Poggius, Laurentius Valla, cuius *Elegantiae* pro lege emendati sermonis habebantur. Omne autem genus poesis tum uigebat cultissimis poetis inter se certantibus; dico Pontanum, Politianum, Sannazarium. Quorum artes primus in Germaniam transtulit Rudolfus Agricola; tum propagauit **Conradus Celtis p.l.** Qui in *Amoribus* (1502) et in *Odis* Germaniae quadripertitae descriptionem exhibuit. Etiam doctior erat **Iohannes Reuchlin**, cuius *Henno* (1497) pro nouo exemplo comoediae habendus est. Ex ea controuersia autem quae ei fuit cum quodam Iudaeo baptizato, natae sunt *Epistulae obscurorum uirorum*, opus immortale.

88. Albert Rabil iun., *Renaissance humanism*, 3 uol., Philadelphiae 1988

72. Nec Martinus Luther, qui ecclesiam reformare studebat, abhorrebat a litteris humanioribus. Eius amicus Philippus **Melanchthon** uir uniuersae doctrinae theologiam in *Locis communibus* diserte exposuit; scholas autem ubique renouauit multisque libris scholasticis auxit. Lutheri partes etiam Vdalicus Hutten secutus est, qui tamen a Latino ad Germanicum sermonem transiit. Contra **Erasmus** uir summae auctoritatis discessit a Luthero, quicum *De libero arbitrio* acerrime pugnauit. Ceterum clarissima eius erant *Adagia* et *Colloquia familiaria*; nunc notissimum *Encomium moriae*. In poesi Germanica tunc praecipui erant Eobanus Hessus, Ioannes Secundus. In scaena scholastica primas tulit Gnapheus suo *Acolasto*; Monacensis scaenae fundamenta iecerunt Hieronymus Ziegler et Martinus Balticus.

89. Heinz Otto Burger: *Renaissance – Humanismus – Reformation* [...], Homburgi et al. 1969

73. Scholis Lutheranis sese opposuerunt **Iesuitae**. Quorum *Ratione studiorum* a. 1599 edita curatum erat ut Latinae litterae ubique terrarum eodem modo docerentur. Summam autem gloriam actionibus scaenicis adepti sunt. Nam omnes *rhetoricae* i.e. supremae classis doctores quotannis dramata scribere et docere cogebantur. Notissima autem in orbe erant spectacula Monacensia, ut *Triumphus D. Michaelis*, qui ad inaugurandum templum a. 1597 maximis sumptibus actus est. E poetis saec. XVII iure laudatur Iacobus **Bidermann SJ**, cuius *Cenodoxus* ualde animos mouit. Varietate et uenustate carminum eminet Iacobus **Balde SJ**.

74. Inde a **saeculo XVII** exeunte usus linguae Latinae decrescebat, primum in carminibus, deinde in disciplinis. Voluerunt enim uiri docti magis indoctos ciues suos docere quam cum aliarum nationum litteratis disputare. Tamen Latina eruditio in scholis ubique ualebat, nempe quod ea formari ingenia crederent. Inde a **saec. XX** tamen etiam scholae disciplinae Latinae minus fauebant. Noui autem propagatores Latini sermonis eo tempore extra gymnasia et uniuersitates extiterunt, qui *Viua Latinitatem* q.d. colebant. Quorum princeps erat Carolus Henricus Ulrichs, qui inde ab a. 1889 *Alaudas* edidit. Quas secuta nunc quoque multa sunt periodica ac collegia Latina; nec desunt satis boni scriptores et poetae.

90. Wilfried Stroh: „Lebendiges Latein“, *Der Neue Pauly* 15, 2001, 92-99